Clarissimo, eruditionis, pietatis et virtutis nomine praestantissimo Viro ac Domino Henrico Stephano etc.
A Deo patre et Domino nostro Jesu Christo gratiam pacem et aeternam felicitatem precatur Andreas Neursianus.

Dominus Utenhouius, vir et pietate et doctrina clarissimus, mihi peregrinaturienti et ad Allobroges proficiscenti, in mandatis reliquit, ut te, vir clariss. atque ornatiss. reverenter suo nomine salutarem, ubi ni vitam cum morte (quod quidam aiebant tum) commutasses, ac te rogarem an Epigrammatum graecorum quae vertisti et edidisti translationem suam excudere cum suis et aliorum paratus sis; Deinque an itidem sis qui Proverbia Salomonis Elegis expressa suis typis mandare velis. Habes hic, vir clariss. atque ornatiss., ὑπόμνημα illorum quae mihi Dominus Utenhouius in mandatis reliquit, ad quae si D. V. scribere dignatus fueris, nihil gratius illi facere poteris. Vale vir clariss. et obnixe peto ut quicquid et hanc παῤῥησίαν aequi bonique consulere digneris. Deus opt. max. te excellenti illo suo spiritu imbutum, verique filii sui notitia et excellentissimis quibusque donis magis ac magis ornatum, nobis quam diutissime incolumem servet, ut te donis suis indies magis magisque locupletet. Genevae Allob.

Tuus ille qui te colit, veneratur ac suspicit.

Andreas Neursianus.

Cela [illegible] dem[illegible] de [illegible] raisonable / 5 [illegible] fl. [illegible]

Du capitre
[illegible]

Novesianus.

[illegible]

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~